

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Kortholt Johannes Mejer

## **Nonnulla Dubia Philosophica**

Rostochi[i]: Richelius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730577554>

Druck Freier  Zugang



Ruprecht 1660  
Christian Kortholt  
Johann Meyer



*A - B.*

# NONNULLA DUBIA PHILOSO- PHICA,

*Quæ*

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

*Consensu Amplissimi Senatus Philosophici.*

PRÆSIDE

## CHRISTIANO KORTHOLT,

Holsato, Phil. M. & Facultatis Philosophicæ in  
Academia Jenensi Adjuncto,

*Disquisitioni publicæ*

Ad diem XXVII. Octobr.

- horis antemeridianis,

In Auditorio Majori

*submicit*

## JOHANNES MEIER/

ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHI

*Typis Johannis Richelii, Senatus Typogr.  
ANNO CI<sup>9</sup> I<sup>o</sup>c LX.*

АЛЛАХОУ  
КОРОЛЯЩИС  
АДЫГИ

ДЕСЯТОЙ АМЕДАМ

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

СЛОВА  
АДЫГИ  
ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

ДО ПУЧА

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

СЛОВА  
АДЫГИ

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

Россия

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

ПРИЧАСТИИ СВЯТОГО ЕЛЕНА

Cum DEO!  
NONNULLA  
DUBIA PHILOSOPHICA.  
Procœmum.

**T**ransiens dulcissimum meum Rostochium, insalutatâ cathedrâ, ex qua olim lauream tuli Philosophicam, abire nefas existimo. Qvamvis proinde justam exhibere Disputationem itineris ratio non permittat, nonnulla tamen dubia, prout illâ in mentem venerunt, amicæ disquisitioni expono, in qvibus si forte occurrent, qvæ ad dubiorum classem, (qvôd nimicrum de iis dubitare unanimis, aut certe plerorumq; eruditorum consensus vetare videatur,) iniqvè referri existimaveris, eum unicè in finem ista heic afferri scias, ut scrupulos circa recepta illa dogmata mihi obortos tecum communicem, qvos si exemeris, communi sententiæ in posterum libenter me acquieturum sanctè polliceor, memor videlicet illius, qvôd in re longè majoris momenti utitur Augustinus lib. contra Epistolam Manichæi, qvam vocant fundamenti, cap. III: *Nemo nostrum dicat iam se invenisse veritatem. Sic eam queramus, quasi ab utrisq; nesciatur. Ita enim diligenter & concorditer queri poseris, si nullâ temerariâ præsumptione invenia & cognita esse credatur.* Esto itaq;e, annuente Dominô,

DUBIUM I.

DE

Ente per accidens.

**D**ocent, ad ens per accidens constituendum necessariò reqviri plura entia COMPLETA, seu talia, qvæ non sint partes aliquæ totius. Evidenter plurimum ens per accidens ex diversis en-

A 2

tibus

tibus completis confitati non nego, cùm exempla exercitus, collegii, acervi lapidum, & alia quamplurima id aperte monstrant: semper tamen hoc & necessariò fieri quis concederit? Membra hominis, v. c. manus, pedes, oculi, aures, à corpore avulsa, & in vas quodam collecta, aut aliò modò ad aliquam unitatem redacta, ens sicut per accidens constituunt, entia verò completa non sunt. Ecquod ergo, inquit, discrimen supererit inter ens per accidens hujusmodi & ens per se compositum, (quale est corpus naturale,) cùm utrumq; ex diversis entibus incompletis confletur? Differentia, nū fallor, in eo constituenda erit, quod entia incompleta, sicuti ens per se efficiunt, semper unita sint *unione naturali*; si verò ens per accidens, aut reverè divisa sint, aut *unione tantum artificiali* conjuncta.

## DUBIUM II.

DE

### Esse cognito.

*Esse cognitum & reale* non ita cohaerere, ut unum eorum sine altero esse nequeat, manifestum est. Fieri quippe potest, ut, quod *esse cognitum* obtinet, *esse reali* destituantur; quemadmodum exempla hominis irrationalis, Dei finiti, aliac; innumera abunde docent. Num verò & *esse reale* sine *esse cognito* invenire licet, disquisitione dignum videtur. Certè absque hæsitatione id affirmari audias. Thesaurus, inquit, in imis terræ cavernis delitescens, *esse reale* habet, *cognitum* non item, cùm à nemine mortalium cognoscatur. Datur ergo alicubi *esse reale* absque *esse cognito*. Nos contrà, nullum dari vel dari posse ens *reale*, quod non simul *esse cognitum* obtineat, asserere haud dubitamus. Argumentor:

Quicquid semper & necessariò est actu objectum alicujus potentia cognoscitiva, id semper & necessariò habet esse cognitum,

Quicquid habet esse reale, semper & necessariò est actu objectum alicujus potentia cognoscitiva,

Ergo Quicquid habet esse reale, semper & necessariò habet esse cognitum.

Major dicitur definitione rū *esse cogniti*. Minor constat.

Quicquid

Qui cvid enim habet esse reale, id semper & necessariò est actu ob-  
jectum intellectus divini, cùm DEUS semper & necessariò omnia  
cognoscat. Objectio de thesauro latente nihil aliud probat, qvam  
qvòd qvædam entia realia nou habeant esse cognitum *in ordine ad*  
*certainam quandam potentiam cognoscentem.* At verò inde non sequi-  
tur, qvòd nullo modò habeant esse cognitum.

### DUBIUM III.

DE

### Id esse in potentia objectiva.

Videtur *id quod est in potentia objectiva* prouersus esse idem cum  
ente in potentia. Utrumq; enim dicit & negationem existentia, &  
negationem repugnante ad existendum. Si tamen paulò curiosius  
res perpendatur, omnino differentiam qvandam inter duo isthac  
animadvertere licet. *Ens sanè in potentia* Philosophis omne id  
dicitur, qvidq; actu non est, produci autem potest; sive produ-  
catur per generationem, hoc est, ex subjecto præexistente, qvomodo,  
v. c. pullus producitur ex ova; sive per creationem, hoc est, ex ni-  
hilo, qvà ratione angelus, v. c. productus est. *In potentia* autem  
*objectiva esse* (strictè accipiendo terminum) si usum loquendi Phi-  
losophis receptum attendas, non nisi illud dicitur, qvod, cùm  
nondum existat, produci potest per potentiam creatricem Dei, sive ex  
nihilo. Hinc si qværas: cur de potentia objectiva apud Aristotelem  
nihil inveniatur? respondent, mirum id non esse, cùm objectiva  
potentia cognosci nequeat, ignoratò hoc, qvòd Deus possit aliquid  
producere ex nihilo; Philosopho autem id ignotum fuerit. Si  
quid ergo judico, *id quod est in potentia objectiva*, & *ens in potentia*,  
differunt ut latius & angustius. Scilicet, omne qvod est in po-  
tentia objectiva, ens quoque in potentia est, non contrà.

### DUBIUM IV.

DE

### Libertate contrarietatis.

Libertatem contrarietatis esse illam, qvam alias vocant liber-  
tatem quoad speciem actus, qvæq; libertati exercitii seu contradictionis  
oppo.

A 3

opponitur, plus satis notum est. De ea, quod unicè circa contraria  
occupetur, magni nominis scriptores affirmare non dubitant. Li-  
dem tamen scipios quasi corrigit, dum libertatem, quā quis, ap-  
posito potu, v. g. viño & cerevisiā, potest bibere vinum vel cere-  
visiam, libertatem contrarietatis esse ajunt. Vinum enim & cerevi-  
siā contraria esse nemo sanè dixerit. Si recte rem assegor, vel  
tres hujus libertatis modi dantur. Primo enim libertas contrari-  
etatis est, iuxta quam facultas in unum duntaxat objectum ferri  
potest, sed *actibus contrariis*; quomodo quis, v. c. amare potest atq;  
odisse divitias. Deinde libertas contrarietatis & illa est, quā po-  
tentia fertur in *objetta contraria*, v. c. in videndum album & nigru.  
Tandem & hæc libertas contrarietatis est, quæ versatur circa *objec-  
ta disparata*. Atque huc spectat suprà allatum exemplum de vino  
& cerevisia. Nec quenquam heic offendat ratio appellationis,  
cujus vi libertas contrarietatis non nisi *contraria respicere* debebat:  
notum enim est, quod argumenta à nominis notatione desumpta  
nihil, vel parum concludant.

## DUBIUM V.

DE

### Imagine.

Filiū in humanis esse *imaginem* sui patris, assertio est ia-  
vulgas nota. Num absolutè vera, ita ut omnis omnino filius pa-  
tri sui *imago* rectè dicatur, fortè non præter rem dubitamus. Quid  
enim *imago*? est quedam similitudo alterius, cuius *imago* dicitur, &  
quidem expressa sive deducta secundum aliquod eius proprium, & cum aliis  
non commune; prout doctissimi viri eam describunt. Hoc si ita,  
non video, quod Iure omnis filius *imago* patris sui dici queat, cum  
sæpe contingat, ut filius non referat aliquid patri proprium, &  
cum aliis rebus ipsi non commune. Quemadmodum ergo ad id,  
ut *imago* aliqua ab artifice picta dicatur *imago* Alexandri M. non  
sufficit, ut *constitutionem* & *habitum corporis* humani præse fe-  
rat, sed necessariò requiritur, ut propria Alexandri accidentia, v.  
c. *lineamenta* ejus, exprimat: ita ad id, ut filius dicatur patris *ima-  
go*, non satis esse videtur, ut essentiam humanam cum eo commu-  
nem

nem habeat, sed videtur insuper necessarium esse, ut propria patris  
accidentia, v. c. lineamenta, per quæ videlicet ab aliis individuis  
humanis ille distinguitur, referat: quod vernacula sic exprimere  
soletus: *Der Sohn siehet seinem Vater gantzlich.*

## DUBIUM VI.

DE

### Animalitate hominis.

Hominem esse animal, universa Philosophorum Schola con-  
tra Hieronymum Cardanum propugnat, & meritò. Quod si tam-  
en suis hypothesis pertinaciter insistere velint multi, qui ani-  
malitatem hominis eunt defensum, vix apparet, quomodo felici-  
ter satis argumenta, quibus pro sua opinione Cardanus militat,  
prosternere possint. Rem istam paulò pressius perseqvi liberet. Do-  
cent viri illi, alijs doctissimi, ad quos digitum intendo, plantam  
recte definiri, quod sit corpus anima vegetativa prædicum. Si objicias,  
hac ratione etiam *animalia* plantas esse futuras, cum & ipsa anima  
gaudeant vegetativa; respondent: quamvis animalia quoq; anima  
vegetativa sint prædicta, plantas tamen non denominari, quando-  
quidem anima vegetativa non sit forma specifica animalis, sed gene-  
rica duntaxat. Nec enim à qualibet forma species denominatur, inqui-  
unt, sed ab ultima & specifica. Duo ergo supponunt. Primum est,  
quod anima vegetativa forma plantarum ultima & specifica sit: alte-  
rum, quod res non denominetur nisi à forma sua ultima & specifica.  
Atq; istis hypothesis innixi, ad hoc argumentum:

Cui competit forma specifica plantæ, anima nempe vegetati-  
va, illud est planta,

Animali competit forma specifica plantæ, anima nempe ve-  
getativa,

Ergo animal est planta;  
ad hoc, inquam, argumentum respondent, limitando Majorem  
hunc in modum: Cui competit forma specifica plantæ, anima  
nempe vegetativa, tangam formam specificam & ultimam, seu ita, ut ani-  
ma vegetativa non superadditam habeat aliam quandam formam,  
illud est animal. Sic limitata Majori, negant Minorem, negant,  
inquam,

inquit, quod anima vegetativa ita competit animali, ut forma  
eius specifica & ultima sit, quandoquidem anima vegetativa in ani-  
mali superadditam habeat animam sentientem, quae denum ultima  
& specifica animalis forma est. Etantibus ipsis hypothesibus, ut  
dixi, non video, quod pacto iis, quae Cardamus lib. xi de Subtilita-  
te contra hominis animalitatem disputat, in occursum iri possit.  
Recepta, eaque vera sententia, quod homo sit animal, hoc unicè ni-  
titur argumento :

Cui competit forma specifica animalis, anima nèmpe sensi-  
tiva, id est animal,

Homini competit forma specifica animalis, anima nèmpe  
sensitiva,

Ergo homo est animal.

Respondet Cardanus, Majorem ita simileiter admittendam non  
esse, sed limitandam hoc pacto : Cui competit forma specifica ani-  
malis, anima nèmpe sensitiva, tantum, seu ita, ut prater animam sen-  
sitivam non habeat aliam quandam formam sentienti superadditam, id  
est animal. Hoc modo Majori limitata, negat Minorem; negat,  
inquit, (& rectè quidem,) homini ita competere animam sensitivam,  
ut prater eam non agnoscatur aliam formam, cum utique illi su-  
peradditam habeat mentem seu animam rationalem. Quod vero  
Major dicto modo limitati debeat, inde manifestum esse putat  
Cardanus, quod, nisi admittatur hæc limitatio, pari ratione ostendit  
haud difficulter posset, animal esse plantam. Si enim, inquit, si-  
ne vitio ita colligo: homo sentit, ergo est animal; quid prohibebit,  
quod minus eadem ratione argumenteret: homo, immo omne animal,  
nutritur & vivit, ergo homo, & quodcumque aliud animal, est  
planta? Existimat ergo Cardanus, quemadmodum in hoc argu-  
mento :

Quicquid nutritur & vivit, est planta,

Animal nutritur & vivit,

Ergo animal est planta;

Major tali modo limitanda venit: Quicquid nutritur & vivit tan-  
tum, nec prater animam, quæ vivit, agnoscit aliam formam, est plan-  
ta: ita eodem Jure recte à se ad modum antea dictum limitari posse  
Majorem

Majorem præcedentis Syllogismi, cùm eadē omni no. ratio. sit homi-  
nis ad animal, qvæ est animalis ad plantam. Dabim⁹ ipsa acutissimi  
viri verba: *Homo non plus est animal, inquit, qvām animal, planta. Si.*  
*animal, qvamvis nutritur & vivat, plantæ nomen non meretur, nec omni-*  
*no planta est, qvia animam, qvā sentit, habet, preter plantam: homo, cùm*  
*prater animal mentem habeat, definit esse animal: nam alterum genus ani-*  
*ma est, quod sentit ac intelligit, ut testatur Aristoteles Si. forma alia à for-*  
*ma fuerit, alterum sub altero collocari non potest. Sentit enim homo pro-*  
*festò ut animal vivens, non tamen homo animal, ut negat animal planta.*  
*Si enim homo animale est, id est, cuius forma ultima est sensus effectrix*  
*anima, manifestum erit, & eadem ratione esse etiam plantam. At hoc ne-*  
*nō admittit, nemo credit. Et quā ratione in homine sensus continetur, eæ-*  
*dem prorsus in animali vivens. Nec tamen animale est quod solum vivit,*  
*id est, planta, ut nec homo animal. Hactenus Cardanus; cuius sub-*  
*tilitatibus qvomodo occurrentum nobis videatur, in peculiari*  
*Dissertatione eidem opposita, & in Academia Jenensi anno*  
*clo 1519 habita, exposuimus. Qvō pactō verò hinc se*  
*extricatur sint Autores suprà laudati, ipsi viderint.*

## DUBIUM VII.

DE

### Magnete.

Micum est, adeò audacter s̄pē de rebus naturalibus viros ex-  
auditos asserere, qvæ falsissima esse ipsi sensus & experientia mon-  
strant. Scribunt, ferrum candens à nullo magnete allici. Feci pe-  
riculum aliquoties, & contrarium deprehendi manifestissimè. Es-  
to: habuerit Gwilhelmus Gilbertus, vel alias qvispiam, magnetem,  
qui ferrum candens non attraxerit; num propterea negandum il-  
lico, ferrum candens à magnete ullo allici? Cùm plures sint magne-  
tis species, experientia qvod de uno confirmatum dedit, non pro-  
tinus ad cunctos rapiendum. Idem esto judicium de eo, qvod a-  
damas facultatem attracticem magneti adimere vulgo creditur.  
Certe & heic experientia aliud me docuit. Imò jam antè contra-  
rium à doctissimis viris observatū fuisse reperio. Johannes Baptista  
Porta cap. LIII: *Experiendo, inquit, frustulum magnetis accepi, quod vix*

E

quatuor

quatuor grana pendebat, ferri scobem ei terracisticè affixi, inde adamantem admovi, qui utriusq; magnitudinem ter quater superabat, cuius presentia magnes ferrum non abjetit. Ferream scobem mox ab eo distracti, ac iussio intervallō dijunxi; & etiam adamante presente adserui. Petrus Laurembergius, olim hujus Academiæ decus, lib. I. Horticultra, cap. XII: Experimur, ait, magnetem nihilominus allucere ferrum, etiam si adamanteis medius obrutus sit. Sed cum diversa adamantis reperiatur genera, (sanè vel sex recentet Plinius) de uno qvod non procedit, forte procedit de alio. Interim ita generaliter adamanti vis debilitandi magnetem adscribenda non erat.

## DUBIUM IX.

DE

### Actibus voluntatis imperatis.

Docent vulgo, voluntatem cogi qvidem non posse qvoad actus elicitos, posse tamen qvoad actus imperatos. Ita, inquit, futuri cogi qvidem non potest, ut velit ascendere patibulum, potest tamen cogi, ut ascendas. Sed, si accuratè loqui velimus, ne secundum ipsos qvidem actus imperatos voluntas cogi posse dicendus est. Quid enim sunt actus imperati? sunt illi, qui non immediate à voluntate, sed ab alia qvadam potētia, tanquam à principio proximo & immediato, producuntur, ita tamen, ut voluntas potentiam illam ad exercitium moveat, sive ab his actus vel operationes excitet, prout communiter eos describi videas. Quando itaque homo ad ambulandum, v. c. vel futu[m] ad ascendendum patibulum cogitur, qvaro, an isti actus ita producuntur à potentia locomotiva, ut voluntas eam ad operationes illas eliciendas excitet, an non? si prius, voluntas aliquid imperat contra propriam suam & naturalem inclinationem; sive (qyod eodem recidit) voluntas aliquid vult, qyod non vult; qzæ per illam est contradic̄tio: si posterioris, si, inquit, potentia locomotiva ad istos actus eliciendos non exicitur à voluntate, actus illi non sunt actus voluntatis imperati, siquidem, ut antea dictum, de ratione hujusmodi actuum est, ut producuntur à potentia, qyam voluntas ad operandum movit & excitavit.

DUBI-

## DUBIUM IX.

DE

### Prædicamentis.

Si qværas: quot Prædicamenta? decem, inquit. Ecque vero? pergis: *Substantia*, qjunt, *Quantitas*, *Qualitas*, & sic deinceps. Sed quemadmodum aliud est, qvi in classe quadam supremum locum tenet, aliud ipsa classis: ita aliud quoque est id quod in Prædicamento existit, supremumq; in eo locum occupat, aliud ipsum Prædicamentum, in quo existit. *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, non sunt ipsa Prædicamenta, sed sunt summa rerum Genera, hoc est, talia entia, qvæ in Prædicamento supremo loco colligantur. Res evidens est. Prædicamenta ab omnibus describuntur, quod sint classes, in quibus Genera & Species disponuntur secundum sub & supra, hoc est, ita, ut Genus summum supremo, Genera & Species subalterna intermedio, & Species specialissima infimo ponatur loco. *Substantia* ergo, v. c. quia summum Genus est, unum est ex illis, qvæ in Prædicamento *Substantie*, tantum in classe quadam, disponuntur, adeoque ipsa Prædicamentum *Substantie* esse nequit. Et si Prædicamentum *Substantie* ac *Substantia* ipsa parti passu ambulante, *Substantia* erit classis rerum secundum sub & supra dispositarum; quod absurdum. Unde etiam illi ipsi, qvi Prædicamenta ita, ut antea dixi, enumerant, quod nimirum sint: *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*; quando pergit qvætere: quid ergo sit *Substantia*? non respondent, quod sic classis, in qua *Substantia* secundum sub & supra disponuntur; sed, quod sit ens per se subsistens. Eodem modo procedunt in ceteris Categoriis.

## DUBIUM X.

DE

### Expositione propositionis exclusivæ exclusi prædicati negativæ.

Propositiones exclusivas exclusi prædicati negativas ita exponendas esse docent, ut præjacens infinita negativa sit. Con-

B 2

firmant

firmant id exemplis. Ita hæc propositio: Elementa non sunt tantum tria; exponitur hoc modò: Elementa non sunt tria; sed sunt plura quam tria. Ista: Apostoli non sunt tantum decem; exponitur ita: Apostoli non sunt decem; sed sunt plures quam decem. Nos, ut hujusmodi exempla alia quam plurima afferri posse, libenter concedimus: ita nihilo minus Regulam, quam tradunt, pro universalis acceptate neutiquam possumus. Exponant Juxta suum Canonem hanc, v. c. propositionem: Deus non est tantum misericors. Praetacens erit: Deus non est misericors. Exponant istam: Carolus Stuart non est tantum Rex Scotie. Praetacens erit: Carolus Stuart non est Rex Scotie. Et hujusmodi exempla alia innumera adduci possunt, in quibus, si vulgarem istam Regulam in exponendo sequi velis, propositione exponibili existente verâ, praetacens evadit falsa; quod indicio est, expositionem non fuisse legitimâ modo institutam.

## DUBIUM XI.

D E

Vulgari isto: Non videndum, quis dicat, sed quid dicatur.

Effatum omnium ore celebratum est, in veritatis inquisitione videndum esse, non QVIS dicat, sed QVID dicatur. At profectò, universaliter id & nullâ adhibitâ limitatione verum esse, non possumus admittere. Quotquot Christianam amplectimur religionem, immorâ fide credimus, Deum esse unum in essentia, & trinum in personis, item, mortuos esse resurrecturos; credimus, inquit, hoc indubitate, quia id dicunt scriptores Theóphyli. Qvòd si vel Aristoteles id diceret, vel Cicero, vel Herodotus, vel Virgilius, vel Terentius, vel etiam fidélis quispiam, sed immediate à Spiritu sancto non actus, nemo nostrum hoc crederet, posito nimisrum, qvòd aliunde de eo ipso non constaret. Ergo heic omnino attendimus, non QVID dicatur, sed QVIS dicat. Si quid de antiquorum Imperatorum rebus gestis apud hujus seculi Historiographum legimus, fidem ei non habemus, nisi narrationem suam veterum Historicorum testimoniis muniat. Illud ipsum autem si vel apud Dionem, Cassium,

vel

vel Svetonium, vel aliqui quendam illorum temporum scriptorem legimus, licet nunc tantum narretur, nec ullis confirmetur testibus, verum esse credimus. Annon ergo & heic potius attendimus, QVIS dicat, quam QVID dicatur? Et, si non videndum, Qvis dicat, cur uni oculato testi plus credimus, quam decem auritis? cur tanti refert, utrum testis Decurio, an plebeius sit; & an honesta & inculpatavita, an vero notatus & reprobabilis: an locuples vel egenus sit; vel, an inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert, vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat? I. III. §. I. D. de Testibus? cur idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant? I. VI. D. eod. cur testis idoneus pater filio, aut filius patrino non est? I. IX. D. eod. cur nullus idoneus testis in re sua intelligitur, sed omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt? I. X. D. & C. eod. Scilicet ex his omnibus manifestum esse autumo, vulgare illud: Non videndum, QVIS dicat, sed QVID dicatur; haud procedere, primò si agatur de rebus in evidentibus, seu iis, quæ ira comparata sunt, ut intellectus humanus sibi relictus, & solo ingenito suo lumine collustratus, judicare nequeat, an vere sint, an falsa: ibi enim omnino attendendum venit, QVIS dicat, & an ille, qui tale quid profert, tantæ autoritaris sit, ut ei curio fidem adhibere possimus, atq; dogmata, quæ nobis credenda proponit, pro indubitate veris agnoscere, non obstante, quod mens nostra penetrare ea non valeat: deinde nec procedere effatum istud, si de questionibus facti sermo sit. Nam & heic diligenter dispiciendum, QVIS ille sit, & cuius conditionis, qui res gestas narrat, aut hoc vel illud factum esse dicit; v. c. an Historicus rebus gestis, quas describit, οὗτος fuerit, num vero talia, quæ diu ante ipsum contigerint, referat; an visa narrat, an auditæ; num candorem præ se ferat & amorem veritatis, an vero fabulis delectetur ac mendaciis; & quæ sunt hujus census alia, quæ ex supra dictis facile intelliguntur.

DUBIUM XII.

DE

Vulgato illo: Honor magis est hono-  
rantis, qvām honorati.

Nihil frequentius, qvām, si juventus, ut debito honore ma-  
iores ac superiores afficiat, admonendus sit & instigandus, incul-  
cari πλυθράντοι stud: *Honor magis est honorantis, qvām honorati.*  
Desumptum id est ex Aristotelis lib. I. Ethic. Nicom. cap. III, vel  
(ut alii numerant) V. Sed profecto longè aliō sensu ibi illud adhi-  
bet Philosophus, qvām ut eō docere velit, si quis debitam alteri  
reverentiam exhibeat, id potius in exhibentis, qvām in ejus, cui  
exhibetur, honorem vergere. Occupatur nimirum Aristoteles  
memoratō locō in eo, ut ostendat, οὐδὲ αἰματία seu felicitatē civi-  
lem nec in voluptate corporis sitam esse, nec in honore, nec in vir-  
tutis habitu, nec in divitiis. Et, qvōd in honore posita non sit,  
inde interalia probat, qvōd summum bonum proprium quiddam  
sit, & qvōd difficulter afferri queat; honor autem tale qvid non  
sit, cūm in honorantibus magis sit, qvām in eo qui honoratur;  
hoc est, (si mentem Philosophi per omnia assequor,) cūm non tam  
in illius, qui honore afficitur, potestate situm sit, honorem sibi su-  
mere, qvām in honorantibus arbitrio positum, utrum honorem al-  
teri velit exhibere; cumq; illi, qui honore aliquem affecit, (v. e.  
qui dignitatem quādam vel officium, ob qvōd in honore versa-  
batur, ei concessit,) integrum sapere sit, cūdem ei rursus afferre.  
Verba Aristotelis ita habent: Φαῖε (τιμὴ) οὐτιπλασίης εἴη τοῦ  
χρήσιος. Δικαιόσητος πανδοκεύουσαν εὐ τῷ τιμωμένῳ. Τοῦ  
ἀγαθοῦ δικαιόσητος πανδοκεύεται καὶ τιμωμένος. Apparet  
honorem esse levius bonum, qvām id quod queritur. Videtur enī  
esse in honorantibus magis, qvām in eo qui honoratur. Bonum verò esse  
proprium quiddam, & qvōd afferri difficulter potest, auguramus. Atq;  
hinc satis, opinor, constat, sensum, qvem vulgo isti Aristotelico:  
*Honor magis est honorantis qvām honorati;* affingunt, Philosophi  
mentine qvāq; conformem esse, sed ab ea longissimè abire. Et  
sanē

Sancte, cum præmium ejus sit, cui competit res, cuius est præmium; virtus autem, cuius præmium est honor, illi qui honoratur omnia competit, quidni honorati quam maxime sit honor, eodem sensu, quod honor alicujus esse dicitur, quod in honorem ejus vergit, was ihm zu Ehren und respect gerichtet? Quam ridiculum ergo est, dicere, probrum, dedecus, infamiam, magis esse ejus qui inurit, quam cui inuruntur, tam certè ineptum est, assertere, honorem magis esse honorantis quam honorati, eodem sensu, quod vulgo effarum istud adhiberi solet. Recte Seneca Epist. CII. Dicte nobis, utrum claritas laudantis, an laudati bonum sit? Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridicula rem facitis, quam si affirmetis meum esse, quod aliis bene valeat.

### DUBIUM XIII.

DE

Ista Platonis propositione: Democra-  
tia inter pravas reipubl. formas  
est optima.

Aristoteles lib. IV Politic. cap. II Praeceptorem suum Pla-  
tonem [ suppressò licet nomine, ] reprehendit, quod in extremo  
Dialogo, qui Civilis inscribitur, assertuit, Democratiam inter bo-  
nas reipublicæ formas pessimam, inter pravas vero optimam esse.  
Ex vitiosis enim formis aliam aliam meliorem dici non debere ait Phi-  
losophus, sed minus malam. Et sane, si axiētēs in loquendo ob-  
servare velimus, certum est, non posse dici melius, vel optimum,  
quod planè non est bonum, cum comparativus & superlativus semper  
presupponant possum. Sic doctior, fortior, liberalior altero dici  
non potest, aut doctissimus, fortissimus, liberalissimus omnium, qui planè  
non est doctius, fortis, liberalis. Ex Logicis quoque notum est, si enun-  
ciationes comparativæ propriæ tales esse debeant, requiri, ut tertium  
comparationis utriq; extremo competit, sive in utroq; compa-  
ratorum adsit: Ita quando dico: Aristoteles est doctior Platone; &  
Aristoteli doctrina inest, & Platonis. Quia ergo, si dico: Democra-  
tia est melior Oligarchia; tertium comparisonis, bonitas, neque Democra-  
tia inest, neque Oligarchia; modus loquendi, quod usus est  
Plato,

Plato, non est satis accuratus. Sed si eadem licetia uti velimus  
in censendis Aristotelis scriptis, quam ille sibi sumpsit in scripta  
Præceptoris, quid fieri de isto loco IV. Ethic. Nicom. I: ἔσωθεν  
πάλιν δοκεῖ θελτιον, οὐ αὐτευθέρες εἴρα, οὐδὲ μὲν ὡραῖον πάλιν, οὐ δὲ  
κόθεν, αὐτὸν τοῦτον. Prodigus longè videtur esse melior illiberalis,  
quod ille prodest multis, hic verò nemini, imò verò nec sibi quidem ipse?  
Videtur, prodigum heic dici meliorem illiberalis ubi certè tertium  
comparationis, bonis as puta, iis, inter quæ instituitur comparatio,  
non magis inest, quam supràinerat Democratiæ & Oligarchiæ. Sci-  
licet, in aliorum nœvis notandis Argō sumus oculatores, in no-  
stris cernendis talpā sapere cœciores!

#### DUBIUM XIV.

##### De causa Physica & Naturali.

Philosophum non esse, quisquis causam PHYSICAM cum NATURALI confundit, nuper alicubi asservi. Id cum nonnullis scrupulis moverit, et quod non plus videatur discriminis intercedere inter causam physicā & naturalem, quam inter arthropatos & hominem, explicationem assertionis meæ, quam tunc non addidi, nunc subjungam. Sciendum itaq; causam efficientem Physicam, juxta morem loquendi Philosophis receptum, opponi causæ morali, adeoq; esse illam, quæ per suam et entitatem producit effectum; causam verò efficientem naturalem opponi causæ liberae, & sic eam esse, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, agit necessarij, seu ita, ut non possit non agere, quæq; ad unum oppositorum determinata est. Quæ cum ita sint, quilibet videt, non pari passu ambulare causam efficientem Physicam & naturalem. Scilicet causa Physicæ latius patet causam naturali, & præter hanc etiam causam liberam complexu suo continet. Ita Deus, v. c. creans mundum, homo cūdens ferrum, qui causæ naturales, h. e. necessarij agentes, nequaquam sunt, causæ Physicæ non minus sunt, quam ignis, v. c. comburens ligna, aut magnes trahens ferrum. Omnis itaq; causa naturalis est causa Physicæ, sed non contraria. Interim non dissimulamus, aliquando causam physicam & naturalem istos induere significatus, ut pro synonymis recte habeantur. Nempe, si causa naturalis opponitur causa supernaturali, & causa physicæ causa hyperphysicæ, inter eas nihil omnino differentia intercedere manifestissimum est.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730577554/phys\\_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730577554/phys_0022)

DFG

fanè, cùm prämium ejus sit; eui compere  
virtus autem, cujus prämium est hono-  
rō competat, qvidni honorati qvām nō  
qvō honor alicujus esse dicitur, qvod i-  
stum in ehen und respect gerichtet? Qvām  
probrum, dedecus, infamiam, magis c-  
inutuntur, tām certē ineptum est, affe-  
honorantis qvām honorati, eō sensu, q-  
hiberi solet. Recte Seneca Epist. C11  
cas laudantia, an laudati bonum sit? Si lau-  
ridiculā rem facitis, qvām si affirmetis meur-

## DUBIUM X

DE

### Ista Platonis propositione tia inter pravas reip- est optim

Aristoteles lib. IV Politic. cap.  
tonem [suppresō licet nomine,] repre-  
Dialogo, qvi Civilis inscribitur, asseru-  
nas reipublicaz formas pessimam, inter  
Ex viciōs enim formis aliam aliā melior-  
losophus, sed minus malam. Et fanè, si a-  
servare velimus, certum est, non possit  
qvod planè non est bonum, cùm compar-  
præsupponant positivum. Sic doctior, fo-  
non potest, aut doctissimus, fortissimus, libe-  
non est doctus, fortis, liberalis. Ex Logici  
cognitiones comparativz proprietales esse  
um comparationis utriq; extremo compa-  
ratorum adsit: Ita quando dico: Aristote-  
Aristoteli doctrina inest, & Platoni: Qua-  
ria est melior Oligarchia; tertium compa-  
mocratis inest, neq; Oligarchiaz; mod-

si prämium  
oratur omni-  
or, eō sensu,  
svergit, was  
d'est, dicere,  
rit, qvām cui  
magis esse  
um istud ad-  
mirum clarit  
se dicit, tam  
benē valeat.

nocra-  
tas.

n suum Pla-  
in extremo  
om; inter bo-  
optimam esse.  
bere ait Phi-  
qvendo ob-  
vel optimum,  
tius semper  
alterō dici  
iū, qvi plane  
rest, si enun-  
iri, ut tertii  
roq; compa-  
Platone; &  
o: Democra-  
tas, neq; De-  
qvō usus est:  
Plato,

Image Engineering Scan Reference Chart TE263  
Patch Reference numbers on UTT Serial No. \_\_\_\_\_

